

Q. D. B. V.

PLACITA. QVAEDAM.
PHILOSOPHICA.

G V I L E L M I.
C O W A R D I.
MEDICI. LONDINENSIS.

CONSENTIENTE.

AMPLISSIMO. PHILOSOPHORVM. ORDINE,
SVB.

PRAESIDIO,

M. IACOBI. STAALKOPFF.
SS. THEOL. BACCALAVREI.

A. MDCCVIII. D. XI. AVG.

MODESTE.

EXCVTIET.

IO. ADAMVS. FICKWEILER.
CVRIA. VARISCVS.

GRYPHISVVALDIAE.

TYPIS. GEORG. HENR. ADOLPHI.
ACAD. REG. TYPOGR.

Philos.

A.

204,74

art. Misc. Fasc. II. 9. 18. 7

VIRO:
SVMMME. VENERANDO. AMPLIS-
SIMO. ET. EXCELLENTISSIMO. DOMINO.

DOMINO:
IO. GEORGIO.
PRITIO.

SS. THEOLOGIAE. DOCTORI.
EIVSDEMQUE. IN. HAC. ALMA.
PROFESSORI. PVBLICO. CELEBERRIMO.
AD. AEDEM. D. MARIAE. PASTORI. ET.
CONSISTORII. REGII. ASSESSORI.
LONGE. GRAVISSIMO.

DOMINO. PATRONO.
PRAECEPTORI. AC. EVER-
GETAE.

EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA.

COLENDO.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



VIR Summe Venerande atque Ex-
cellentissime,



Udeo praesens quod uides
Schediasma admodum leue, in
testimonium deuotissimae, qua
TE VIR Summe Venerande
prosequor uenerationis, ea qua
par est submissione offerre.
Cum enim probe conscius sim, leuidensem hanc
scriptionem nulla quae ipsi propria esset gau-
dere

dere praestantia, necessitate extrema adactus
illam Summe Venerando Nomini TVO in-
scribere, atque sic Spiritum uix trahentibus
positionibus his, uitam eo ipso largiri nullus
dubitavi. Qua in re si quid peccaui, ea ni-
hilominus erigor spe, fore, ut delicto isti meo
ueniam benigne sis daturus, quoniam pietas,
ac summa qua TE Vir Summe-Venerande
colo observantia, me ut id facerem impule-
runt. Quapropter ut exiguas hasce pagellas
serena atque beneuola fronte accipias, ac te-
nuitatem meam patrocinio TVO summo di-
gnam iudices, est quod enixissima mente con-
tendo

Summe-Venerandi Nominis
TVI

Cultor & Admirator deuotissimus
IO. ADAM. FICKWEILER.



IESV SECVNDATE!

I.



Occasionem Cowardo, monstra sententiarum, quibus Scripta eiusdem referta sunt, recoquendi, praebuit, Vir propter varia magno cum apparatu multifariae eruditionis edita ingenii monumenta satis clarus, HENRICVS DODWELLVS. Quem cum Dubli-

num Hibernorum Vrbs genuerit, Oxonium uero literis imbuerit, immerito magnopere miramur, qui portentis haud multum absimiles plurimis uisas hypotheses, publice proponere fuerit ausus. Consuetam quippe Britannis sentiendi et scribendi eo ipso secutus est libertatem, quae, si dicendum quod res est, in pessimam saepius licentiam solet degenerare. In primis iusto audaciorem se, in demonstranda paucitate martyrum, contra fidem martyrologiorum et monumentorum antiquorum praestitit. Qua in re, neminem quantum mihi quidem innotuit, praeter GVILELMVM FLEETWOODVM, Concionatorem Aulicum Londinensem habuit assentientem. Plures uero et iam olim et inpraesens etiam naeta est sententia eiusdem fautores, qua praerogatiuam Episcopis iure diuino prae Presbyteris competere asseruit. Id quod fecit peculiari de successione Pontificum Romanorum primaeua, exercitatione, quam Operibus posthumis IO. PEARSONII Cestriensium Episcopi longe celeberrimi a se Londini 1688. 4. editis subiunxit. Denuo confirmauit sententiam suam
A
Parae-

Praenesi (quae Londini A. 1704. prodiit) ad exteros, tam Reformatos quam Pontificios, de schismate Anglicano, qua iura Episcoporum uetera, eorundemque à potestate seculari independentia, omnibus asserenda commendantur.

II.

Ad exteros autem cum Paraenesin suam direxerit doctissimus Autor, e re sua fore arbitratus est D. IO. FRANCISCVS BVDDEVS, ueluti exterus, modestum eiusdem in se suscipere Examen, quod A. 1705. Ienae prolixa Dissertatione, 20. plagulas continenti, solide est exsecutus. Optandum igitur fuisset substituisse Dodwellum in hac opinione, cum illa adhuc quodammodo tolerari queat, certe potiori iure ueniam mereatur, ista, quam deinceps nouaturiens eiusdem animus in scenam produxit, ast secus euenisse cum cordatorum omnium acerbo dolore, grauique indignatione paradoxum eius scriptum, quod Londini A. 1706. 8. edidit, lingua Anglicana concinnatum satis superque testatur. Inscriptionem, celeberrimi Autores Actorum quae Lipsiae colliguntur, latinis conceptam uerbis sequentem in modum exhibent: Discursus Epistolaris probans ex Scripturis et Patribus primitiuae ecclesiae, quod anima sit principium naturaliter mortale, sed immortale reddendum, uel per merum DEI arbitrium ut puniatur, uel per illius cum Diuino spiritu baptismali unionem ut praemium accipiat. Vbi simul ostenditur, neminem post Apostolos habere potestatem dandi spiritum diuinum immortalizantem, nisi Episcopos. Ex cuius tituli aliquali saltem consideratione cuilibet ad oculum patet, scriptionem hanc eò potissimum esse comparatam, ut splendorem muneris Episcopalis planè singularem ostendat. Quem cum ualidiori haud facile argumento, illo ipso, quod à potentia Episcoporum animabus immortalitatem concedendi petiit, euinci posse crediderit Dodwellus, illud imprimis adferre suarum esse partium duxit. Atque ut uerum fatear ingenuus, robustissima haecce foret probatio, si firmo eadem fundamento inniteretur. Verum cum haec longe aliter se habeant, quid mirum extitisse inter Anglos, uiros quosdam eruditissimos, qui in reiectione liberius fictarum à Dodwello hypothesium egre-

egregie et magna cum laude fuere uerfati. IO. TVRNERVS quippe diuiniſſimae diſciplinæ Doct̃or et Vicarius Greenui- cenſis aduerſus illum ſcripſit: Juſtice done tho human Souls Londini 1706. 8. THOMAS etiam MILLEſIVS edidit, The natural Immortality of the Soul aſſerted. Praeter hos SA- MVEL CLARKIVS, Io. Ep̃iſcopi Noruicenſis Diaconus, E- piſtola ad Dodwellum ſcripta, eundem ad ſaniorẽ mentem conatus eſt reuocare. De qua, ac aliis eruditionem haud uulgarem ſpirantibus doct̃iſſimi Autoris ingenii foetibus A. E. L. A. 1707. Menſ. Mai. p. 212. ſeqq. et quod praecipue ad Demon- ſtrationem exiſtentiae DEI et diuinorum Attributionum attinet, Relationes Nou-antiquas de A. 1705. p. 408. legiſſe neminem for- ſan poenitebit. Neq; ſilentio praetereundum eſſe cenſeo ED- MVNDVM CHISHVLLVM, Collegii Corporis Chriſti, quod Oxonii floret Socium, cum et ille in denunciatione haereſe- os Dodwellianae, anglico pariter idiomate conſcripta, Dod- wellum acerrime impugnauerit. Ex noſtratibus eundem con- futauit uenerandus Dn. D. V. E. LOEſCHERVſ in Relatio- nibus Nou-Antiquis de Anno. 1706. p. 447. ſeqq. et in Prae- notationibus Theologicis p. 76. ſeq.

III.

Prodiit poſthaec, in hanc quoque ſcenam GVILELMVS COWARDVS, Medicus Londinenſis, edito anglice ternario Ep̃iſtolarum, quarum prima, ſententiam, quam de mente hu- mana conceperat, aduerſus oppoſitiones diſſidentium uin- dicat, altera tum Dodwelli (a) de anima humana cogitationes, tum Clarkii ad eaſdem reſponſiones examinat, tertia demum in ſtatum mentis poſt mortem et conſequentias ex Dodwellia- nis, Clarkianisque fluentes hypotheſibus inquiri. Titulus totius commentationis hic eſt: Scrutinium exactum, ſeu in- quiſitio ſeria in modernas animae notiones quatenus conſi- deratur (1) inſtar halitus uitalis ſeu potentiae (non immateri- alis ſubſtantiae corpori unitae) iuxta Scripturae tenorem (2) inſtar principii naturaliter mortalis, ſed per unionem cum Spiritu baptiſmali immortalitate donati, iuxta Platonismum nuper in Chriſtiana Eccleſia reſuſcitatum Londini 1706. Quo de

de libro, omnia quae dici poterunt, me dixisse existimo, si afferam, eundem malefani Medici, et quidem Angli foetum esse. Aequis enim suspicionibus ut aliquantulum in diiudicandis libris Medicorum in Anglia indulgeam, effecerunt profani acuminis scripta THOMAE BROWNE Religio Medici, BERNARDI CONNOR Euangelium Medici etc. Quanquam in uniuersum, sacrarum literarum Antistites obseruauerint: quoties Artis salutaris Doctores et Cultores falcem suam modo indecoro in Theologicam immiserint messem, saepius pestilentissimis occasionem praebuisse haeresibus. Quod assertum suo niti fundamento, uel sola ex recenti memoria THEOPHRASTI PARACELSI et HELMONTIORVM exempla clare testantur. Idem etiam praesens, de quo uerba facio Cowardi liber ad oculum ostendit. Cuius fundamenta, ille tum in cogitationibus de anima, tum in uindicatione Rationis et Religionis contra imposturas Philosophiae iecit. Ac in cogitationibus quidem de anima sedulo dedit operam, ut ostenderet doctrinam quam uniuersus propemodum Christianus Orbis de mente humana fouet, ex impuris et turbidis paganae Philosophiae fontibus esse haustam, neque cum principis Philosophiae, rationis et religionis consentire, cum secundum doctrinam sacrarum literarum illa, nempe anima, sit uita hominis, atque adeo unam eandemque esse uirtutem, qua homo uiuat, sentiat, ratiocinetur. Hanc in corpore hominis reperiri asseruit, quoad homo uiuat, simulac autem corpus intereat et corrumpatur, eam pariter interire, rursus tamen exituram uoluit, quamprimum corpus in resurrectione uitam iterum acceperit. Quae doctrinae uti partim impietate, partim fatuitate summa laborant, ita ferre easdem non potuit IO. BROVGTHONVS (b) Serenissimi Ducis MARLBOROUGHII Diaconus, quin potius Psychologiam suam Londini 1703. 4. editam illis opposuit, et Cowardum Atheorum et Empectarum cohorti adnumerauit. Aegre illud tulit Cowardus atque idcirco cogitationibus de anima patrocinium quaesuit, uindicatione rationis et religionis contra imposturas Philosophiae. Qua demonstrare magno conatu molitus est, quod (i) iuxta
ideas

ideas quas de rebus effingere possit mens humana, existentia substantiae alicuius immaterialis deceptionis Philosophicae titulum mereatur, (2) quod omnis materia principium motus intrinsecum sibi habeat concreatum, (3) quod materia et motus unicum sit cogitationum in hominibus et brutis fundamentum. Haec igitur et similia quae ille proposuit sententiarum portenta, breuiter iam excutere animus est. In eo uero ita sum uersaturus, ut a secundo ordiar disquisitionis capite, cetera duo eidem subiuncturus.

- (a) De Lite Dodwelliana uideri etiam poterunt Relationes Nou-antiquae A. 1706. p. 447. seq. Gottlob. Fridericus Ienichen quoque, in praefatione ad Historiam Spinozismi Leenhofiani significauit, proxime alibi totius controuersiae Dodwellianae historiam exituram, cuius editio ut maturetur, publici interesse arbitror.
- (b) Venerandus Dn. D. V. E. LOESCHERVS in Praenotionibus Theologicis p. 74. Broughtono alios adhuc addit Cowardi Adversarios, Afshetonum nempe, Lesleum, atque Menardum.

IV.

Impeditum autem admodum est, primum cuius explicationem molior momentum. Etsi enim quotidie innumeros ferme contingere uideamus motus, nihilominus tamen intimam eiusdem naturam cogitando assequi non ualemus. Uiuimus in tempore, existimus in loco; at nihilominus quid praecise tempus, locusue sint, non percipimus; sed contenti esse debemus si dicere queamus, tam locum quam etiam tempus praeter denominationem extrinsecam nihil esse. De motu uero si quaedam balbutire licet, tria circa eundem obseruanda esse crediderim, rem nempe mobilem, motorem siue principium motus, et motum ipsum i. e. tendentiam obiecti mobilis ex uno loco in alterum. Perinde uti circa cogitationem (1) mentem cogitantem (2) obiectum circa quod uersatur cogitatio ac demum (3) ipsam cogitationem, actionem mentis cogitantis contemplamur. De rebus quae mouentur nulla est controuersia, cum easdem oculis quotidie usurpemus, saltem de principio motus, atque affectione corporis naturalis, quae motus appellatur, non una inter Eruditos uice disputatum est.

V.

Supremum uero Numen causam primam et Autorem generalem motus esse certum est, quamuis idcirco cum PETRO MALEBRANCHIO, BERNARDO CONNOR, BERNARDO LAMY, IO. CHRISTOPHORO STVRMIO, Sectatoribus Cartesii, ac inter Fanaticos SEBASTIANO FRANCO asserere non liceat, creaturas esse saltem causas quasdam occasionales, quarum praesentia posita, DEVS omnia ipse moueat et operetur. Alia quippe sanior nos edocet Theologia naturalis, quando de liberrimo DEI concursu praecepta tradit, tam Conditori quam rebus conditis conuenientem tribuens actiuitatem, illumque adeo non solum, uerum cum creaturis efficacissime operari asserens. Quapropter creaturis internum motus principium insit, necesse est.

VI.

Spiritum equidem non egere interno actionum suarum principio, plurimi consentiunt Philosophorum, cum ille in aliis quibusdam rebus motoris uices sustineat. De materia saltem quaeritur, unde illa suum accipiat motum, an ab aethere? an uero principio quodam interno. Prius arridet Sectatoribus Cartesii, nihil fere nisi aetherem crepantibus, posterius praeter innumeros alios naturae scrutatores placet Cowardo. Aut ergo principium illud intrinsecum erit materiale, aut immateriale. Si hoc, turpiter sibi contradicit, quandoquidem nullam alioquin statuit materiae expertem substantiam. Si illud, probandum adhuc Cowardo incumbit, materiae, per se, quatenus est materia, competere uim mouendi, quam eidem forma destitutae non possum non denegare, cum illius nomine mihi merum ueniat principium passiuum. Fortassis autem internum illud Cowardi principium erit Accidens. Ponamus hoc, neque sic tamen assertio assensum merebitur. Scrupulus enim statim oritur de subiecto, cui inhaeret illud accidens, quod necessario substantia esse debet. Dicis: Est etiam substantia, nempe ipsa materia rei mobilis, huic inhaeret uis mouendi. Respondeo, iam antea monitum esse, materiam esse puram putam potentiam passiuam, quae sibi relicta nil agere,

re,

re, uerum saltem pati atque recipere aliquid potest. Praeterea exinde quoque sequeretur: Accidens esse nobilius suo subiecto, cui inest, quod est *ἀτοκον*.

VII.

Cartesianis ut prolixè me opponam, superuacaneum fore existimo, cum illi, qui sibi soli sapere uidentur, assertiones meas utpote hominis Scholastici nescio quam barbariem et inscitiam prae se ferentis, nihil plane sint curaturi. Odii pleno quippe nomine hoc, omnes illos qui praestantia Philosophiae Eclecticae moti, sputum nobilis ipsorum Magistri lingere nolunt, mactare solent. Ego inpraesens haec talia eorum scommata non moror, saltem ingenue fateor, concipere me non posse, quomodo unus ille aether tot millenis motionibus, earumque generibus dextre explicandis sufficere queat. Qua in re, si propter imbecillitatem iudicii quid pecco, ueniam nihilominus ab illuminatissimis Doctoribus illis mihi polliceor. Constat celsissimis mentibus, quatenus intellectus praeiudicatis opinionibus corrupti incapacitas sit, in ueritatibus tam inueniendis, quam etiam inuentis recte concipiendis, quam ob rem eo faciliores se praebebunt, in uenia erroribus meis, ex iuuentutis forsitan praeiudiciis ortum trahentibus, danda. Sciunt Substantiae illae cogitantes, et ut clarius loquar, actuales istae cogitationes, intimam Spiritus et corporis naturam, adeoque intellectum tot hominum in spissis errorum tenebris misere errantium, claris et distinctis perceptionibus suis erudire, haud dedignabuntur. Quanquam dolendum sit, uortices Cartesii, claras et distinctas perceptiones illas, quandoque mirum in modum turbare, ac discipulorum quos nactus est cerebra uorticosa nimis efficere.

VIII.

Gratulor mihi interea de consensu celeberrimi Cartesii interpretis ANTONII le GRAND Cap. XVIII. p. 349. Instit. Philosophiae asserentis: *Corpus nec se nec aliud corpus mouere posse*. Quam Propositionem per totum illud Capitulum demonstrandam in se suscepit. Ego iam subsumo: Aether est corpus. Ergo neque seipsum, neque aliud corpus mouere ualet.

Cadit

Cadit igitur principium motus Cartesianum, et ab ipso Cartesiano Doctore evertitur. Quinimo, si uel maxime concederem, aetherem esse principium motus, noua mox suboriretur quaestio, quisnam aetheri motum sit largitus? Respondent equidem aeternae Cartesii, eundem uti rebus omnibus ita etiam aetheri a Supremo Numine in prima creatione fuisse impressum; at uariis eo ipso se implicat difficultatibus. Quomodo enim haec sententia, cum asserto, creaturas causas saltem occasionales ac improprie sic dictas esse, consistere queat, non capio. Assignato quippe rebus conditis motus principio, causae uerae motionum suarum praesupposito tamen efficacissimo Conditoris concursu, et sunt et appellari merentur.

IX.

Mea igitur de principio motus intrinseco haec est sententia, illud nonnisi substantiam immaterialem esse posse, et si idcirco haud inuitus concedam, principii extrinseci uices etiam corpus sustinere posse, cum quotidiana testante experientia, unum corpus quod in motu est constitutum, alteri impulsione sua motum pariter conciliare queat. Hinc ex Cowardi assertione, qua statuit: omne corpus habere principium motus intrinsecum sibi concreatum, fluere uidemus, illud materiae expers esse debere. Posita autem existentia principii cuiusdam immaterialis, ponitur etiam existentia Spiritus, et per consequens minus recte illa à Cowardo fingitur inconceptibilis.

X.

Transeundum iam esset ad ipsam motionem, cum hactenus de eiusdem principio sollicitus fuerim; sed cum argumentum sit nimis arduum, cui exponendo imparem longe uim ingenii mei esse lubens fateor, praestabit plane nihil de illo dicere, quam leuia et dignitati materiae minus respondentia effutire rectius, quam proferre.

XI.

Quod reliquum est, conferri possunt Autores uarii, qui
pul-

pulcherrimam hanc de motu doctrinam scriptis illustrandam sibi sumserunt. Quorum quidem iustum conficere liceret catalogum, si necessitas id ipsum postularret; ast gratae haud immemor breuitatis nonnullos saltem sum nominaturus, qui partim de motu, partim de legibus istius, quas alio nomine leges naturales et leges naturae appellant, egerunt: Sunt autem illi RENATVS CARTESIVS, PETRVS POIRETVS, ANTONIVS le GRAND, IO. KEILIVS, GODOFREDVS GUILLMVS LEIBNITIVS, BERNARDVS CONNOR, IO. BAPTISTA ROESCHELIVS, IO. SPERLETTE, cum aliis iam iam non memorandis. Tempus quippe imponit mihi necessitatem, ad Cowardum reuertendi. Omnem autem ille mouet lapidem, ut ostendat existentiam substantiae cuiusdam materiae expertis esse deceptionem in Philosophorum cerebro natam, et intellectui plane inconceptibilem. Quapropter contradictionem inter terminos immaterialitatis et substantiae fingit. Collectio si in formam artis redigatur, sequens est: Inter quaecunque datur contradictio, illa simul stare nequeunt. Atqui inter substantiam et immaterialitatem etc. E. Propositio si de *ἐναντιώσεις*, non uero *ἐναντιοφανεία* accipiat, uerissima est, neque in dubium uocari ulla ratione potest: quamobrem de assumpto cum primis erit dispiciendum. Illud uero probare conatur Cowardus, prouocando ad proprietates substantiae materiae gaudentis extensionem nempe, diuisibilitatem, patibilitatem, impenetrabilitatem, successionem temporis ac loci in motu, insensationem et sensibilitatem. Cum autem contrariorum contraria sint consequentia et attributa, insimul eas, quae sequuntur, substantiae immaterialis recenset proprietates, non-extensionem scilicet indiuisibilitatem, impatibilitatem, penetrabilitatem, nullam temporis ac loci in motu successionem, sensationem et insensibilitatem. Quibus ita propositis confidenter nimis asserit, nullam substantiam concipi posse ab extensione immunem.

XII.

At enim uero Autorem meris uti petitionibus principii,
 B et

et à negatione imaginationis ad negationem conceptus, uel potius conceptibilitatis, uitiose argumentari, quilibet praeiudicatis opinionibus uacuis facile uidet. Verum equidem est, nos intimam tam Spiritus quam etiam corporis cognitionem non habere, interim tamen aliqualis utriusque attributorum nobis obtigit notitia. Quapropter ab existentia attributorum Spiritus, ad existentiam eiusdem inuicte colligere licet, cum Non-Entis nullae affectiones dari queant. Existere uero eiusmodi attributa ostendunt saniores Pneumatici, et quid sint, egregie ac dextre explicant, adeo ut operam saltem lufurus essem, si iisdem enarrandis exponendisue immorari uellem. Id saltem ad confutationem sententiae Cowardianae dixisse sufficere poterit: eundem aliorum conceptus ex suo iudicare, et imaginationem cum conceptu turpissime permutare, quod eiusmodi esse uidetur, ut ne quidem ueniam multo minus approbationem mereatur.

XIII.

Conceptus siquidem nomine uenit expressio rei cuiusdam siue materiae expertis siue eadem gaudentis in mente; imaginatio uero effigiatio rei corporeae in mente esse dicitur. Vnde, hoc tantum inter ea discrimen intercedere uidemus, quod a diuersa conditione subiecti deriuari potest. Hinc pariter nullam Spiritus ideam dari contendimus, cum et ipsae Cartesianorum, quas de idea tradunt definitiones, materiale quid inuoluant, et per consequens longissime a Spirituum essentia arcendae sint. Haud inuitus igitur Cowardo concesserim, substantiam immaterialem obiectum imaginationis esse non posse, ast ut conceptibilitatem eiusdem negem, nulla plane ratione a me impetrare ualeo. Lubrico ea propter fundamento nititur eiusdem assertio, nullam substantiam concipi posse sine extensione, quia nulla sine circumscripta et limitata existentia concipiatur, circumscriptio autem per terminos fiat. Nego enim haec simpliciter, utpote nondum probata, et distinguo inter conceptum Cowardi proprium et alienum, concedendo ista, si de conceptione propria

pria

pria accipi uelit, negando, si de aliorum etiam conceptibus intellecta cupiat. Tali ratione autem uitium in mente Aduersarii rebus materialibus nimium immerfa haerebit. Neq; est, quod ad omnium conscientiam prouocet, annon illis substantiam concepturis eadem primo tanquam massa independentis existentiae occurrat? Negabunt quippe illud pleriq; a partibus ipsius alieni, neque propterea stimulos aut cruciatus conscientiae sentient, rogabuntque ut clarius mentem suam aperiat, quid per massam independentis existentiae intellectum uelit. Petit enim id quod in principio est, omnem substantiam appellans massam, probandum quippe illud in antecessum erat, cum ego id prorsus inficias eam. Adhaec plane non uideo, qua ratione substantia *massa independentis existentiae* salutari queat. Essentia siquidem et existentia non realiter: uerum saltem per fictionem mentis differunt, adeoque a parte rei sunt unum idemque. Si hoc, prona exinde sequitur consecutione: omnem substantiam esse massam independentis essentiae. Sic uero iniurii sumus in benignissimum Numen, maiestati eius aliquid detrahere conando, quod sibi soli proprium esse uoluit potentissimus rerum omnium Arbitrator. Praeterea quoque implicitam inuoluit contradictionem, loqui de massa independentis existentiae, Massa quippe uel materia est principium passiuum, quod a se ipso esse nequit; sed aliud se prius agnoscit, a quo esse suum acceperit: quae cum independentia conciliari non posse quilibet uidet.

XIV.

Rectius in Scholis substantia definitur per Ens per se subsistens, ubi subsistentiae uocabulum, inhaerentiam in alio ueluti subiecto excludere, cuiuslibet est notum. Cum qua celebris ille Cartesianorum Doctor CHRISTOPHORVS WIT-
TICHIVS in Anti-Spinoza siue Examine Ethices Benedicti de Spinoza consentit, ita differens: *Substantia si ad originem uocis attendas, dicitur a stare, quod est per se consistere, et a praepositione Sub, atque ita significat eam et per se consistere, et subiectum al-*
B 2
teri-

*terius esse quod ita per se non stat & propterea accidens appellatur. Esse per se naturam substantiae strictè sic dictae constituit. Quando ergo aliquid ita existit extra intellectum, ut sit in se & non in alio, adeoque ab alio tanquam a Subiecto non dependeat, dicitur illud esse per se. In qua explicatione facile possum acquiescere, ac propterea eandem Definitioni qua CARTESIVS substantiae naturam explicare uoluit, praefere nullus dubito, cum ex illius descriptione sequatur, uel sequi saltem uideatur: unicam tantum existere substantiam. Sequentis quippe illa est tenoris: *Per substantiam nil aliud intelligere possumus, quam rem, quae ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum.* In eandem sententiam loquitur ANTONIVS le GRAND, substantiam appellans rem cui nulla alia substantia opus sit ad existendum. Coincidit ferme cum his et SPINOSAE descriptio, qua substantiam illud uocat, quod in se est et per se concipitur, uel, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debet. Quas tamen ad solum DEVM, minime uero ad res conditas applicari posse arbitror. Quam ob rem missis his omnibus, uulgari antea traditae inhaereo definitioni substantiae, cum indifferenter illa se habeat cum ad Spiritum tum ad corpus, cum ad Conditoem, tum ad res conditas, Cowardum enim descriptione sua id saltem dedisse operam, ut hypothesi inferuaret, deprehendimus. Neque hoc contentus fuit, uerum ulterius etiam procescit. Negata quippe existentia substantiae immaterialis, citato cursu progreditur ad negationem substantialitatis diuinae. Quam omnium monstrorum monstruosissimam opinionem, uariis quaesitis coloribus palliare conatur, qui eo redeunt: pugnare substantialitatem Numinis cum infinitate et omnipraesentia eiusdem, atque idcirco DEVM Iudaeos idololatriae infimulasse Act. XVII, 29. Deuteronom. IV, 12. eo quod sibi ueluti substantiam Supremum Numen repraesentauerint.*

XV.

Verum nil solidi in futilibus his probationibus reperiri, attentior earundem consideratio ad oculum ostendet. Quae enim

enim illa consecutio: DEVS est infinitus et omnipraesens. E. non est substantia. Quenam illa collectio? straminea certe atque nimis ficulnea. Non erraueris, si eandem ratiocinationem sine ratione et argumentationem prorsus irrationalem appellaueris. Supremum equidem Numen infinitum est, et omnipraesens, uerum qua ratione notio substantiae, sano sensu accepta, attributa illa euertat, prorsus non uideo. Eo ipso quippe dum est infinitus, excludit omnes prorsus limites, fines, ac terminos essentiae, et quidem propterea, quia est independens. Quicumque enim neminem se agnoscit priorem, a quo essentiam suam acceperit, illius quoque essentia non potest non esse infinita, cum nullum detur Ens, quod eandem terminauerit, aut limites illi posuerit. Quam ob rem haud immerito infinitatem ex independentia, et finitatem ex dependentia deriuant Philosophi, ut adeo posita independentia ponatur infinitas, et adstructa dependentia simul quoque finitas adstruatur.

XVI.

Nihil ergo Cowardus hac assertionem sua efficere ualet, si uocabulum substantiae in recepta accipiatur significatione; aliter autem ex aduerso iudicandum est, si sensu Cowardiano substantia pro corpore capiatur. Enimuero, cum fundamentum illud, cui cetera superstructa sunt, nondum satis a Cowardo sit stabilitum, tantum abest, ut consequentias ex hypothesi illa fluentes admittam, ut potius illas optimo iure reiici posse censeam. Facile uidebat Aduersarius, supposita impossibilitate existentiae Spiritus, DEVM substantiam appellari non posse, eo quod corpus infinitum et omnipraesens concipere, esset Chimaeram et Non-Ens per fictionem saltem mentis sibi repraesentare. Quare Benignissimum Numen maluit, *uirtutem*, quam substantiam appellare. Turpiter nihilominus in eo sibi contradixit, dum primo substantiae tribuit independentem existentiam, deinceps uero eidem infinitatem et omnipraesentiam denegauit. Cum enim attributa illa ex independentia fluant, quid obstat? quo minus tributa substan-

B 3

tiae

tiae independentia, infinitas et omnipraesentia eidem non adscribantur.

XVII.

Nec firmiori nititur fundamento, illa, quam ex sacris petiit probatio, uti id demonstrare Theologi possunt. Nihil enim ibi reperitur assertum praeter hoc, quod DEVS rebus corporeis non sit similis. Propterea autem substantialitatem illi denegare non licet, quia ex hactenus recepta sententia (quam hucusque solidis nullis Cowardus destruere potuit argumentis) substantia indifferenter se habet tam ad Spiritum quam ad corpus.

XVIII.

Quid igitur ex mente Cowardi DEVS? si non substantia? nil aliud ipso interprete, quam aeterna, omnipotens et omnipraesens uirtus. Hanc quippe uirtutem Io. IV. Spiritus uocabulo indigitari existimat. Supremum Numen uirtutem esse non negamus; ast exinde sequi illum spiritum appellari non posse, falsissimum est. Verum equidem est, in DEO non dari ullam compositionis realis speciem, adeoque nec eam quae inter subiectum et attributa in rigore sic dicta existit, in eodem reperiri manifestum; nihilominus tamen compositione rationis, ab omnibus separata imperfectionibus illum compositum dicere nil uetat. Quorsum et compositionem ex subiecto et attributis analogice sic dictis spectare, cuilibet notum. Dum ergo in Numine agnoscimus uirtutem, per illam proprium aliquod, affectionem quandam, intelligere debemus. Illa uero affectio praesupponit subiectum, cui insit. Quodnam itaque hoc loco uirtuti suae assignabit Cowardus, quomodo uirtus illa est comparata? Aut erit Substantia aut Accidens. Non accidens, pudeat enim hominem sanae mentis DEVM dicere Accidens, eumque infra conditionem humanam, de celsae maiestatis qua pollet throno detrudere. Erit igitur substantia: si hoc, uel cogitans uel extensa. Extensa esse nequit, quia iuxta superius a Cowardo concessa corpori repu-

repu-

repugnat esse infinitum et omnipraesens. Ergo erit cogitans et per consequens Spiritus.

XIX.

Sed ridere uideo Dissidentem uulgatam illam Entium in substantias et Accidentia diuisionem. Enimuero nullas habet ridendi causas. Regerit quidem, diuisionem istam ad res conditas saltem applicari posse, neque tamen respectu illarum adaequatam esse, Deique subsistentiam non ex Aristotelis definitione probandam esse, utpote qui, tanquam Gentilis uera DEI cognitione in Scripturis reuelata caruerit; ast frustra omnia. Petit enim principium, diuisionem illam creaturarum saltem esse asserendo, quod antequam solide demonstrauerit, nil prorsus efficiet. Contrarium probo sequenti ratiocinio: Cuicumque competit definitio, eidem et definitum competat, necesse est. Atqui DEO competit definitio substantiae. E. Propositio sua radiat luce, et assumptum ex definitionis substantiae supra traditae ad Numen applicatione patet. Praeterea adaequata etiam est, cum omnia illa, quae ueri Entis naturam habent, ad duas has classes commodissime referri possint. Cetera uero, quae in censum earundem non ueniunt, nomen Entis Metaphysici (per quod, Ens reale, positium, actuale, per se et incomplexum intelligo) sustinere nequeunt, uerum aut ad Non-Entium, aut ad extrinsecarum denominationum classem spectant. Quorsum locus, tempus, motus, relatio, quando, ubi, situs et habitus pertinere mihi quidem uidentur. Neque etiam ideo, quando adaequata Entium in substantias et accidentia diuisio asseritur, subsistentia DEI ex Aristotele probatur, uerum tantum terminus substantiae ad Numinis Supremi essentiam applicatur, quod cur fieri nequeat, rationes prorsus nullas uideo.

XX.

Relicta Supremi Numinis essentia, in creati Spiritus quidditatem paulo pressius inquirere studet Cowardus. Nimis autem obscuram illius tradit definitionem, dicendo: Spiritum
fni-

finitum esse uirtutem supereminentem materiae implantatam, quae ad eandem sub certis limitationibus actuandam, per supremam omnium uirtutem apta sit. Vbi quid per supereminentiam Spiritus prae materia, cum et ille ex mente ipsius materialis sit, intelligere queat, accurate definire mihi non est integrum. Forte per istam supereminentem materiae uim, denotatur materia subtilissima, cui propter exilitatem suam, Cowardus potentiam materiam crassiolem mouendi nullus dubitat adscribere. Forsitan quoque quoniam uirtutis omnium primae mentionem facit (cuius nomine procul dubio DEVS ipsi uenit, quia illum per uirtutem uti supra audiuius describit) analogam Spiritui creato in respectu ad DEVM tribuit essentiam, ut adeo et Spiritus creatus, neque sit substantia, neque accidens; sed uirtus quaedam. At enim uero eadem hic recurrunt difficultates, quas §. XVIII. et XIX. notauimus. Ceterum certissimum est, istum Spiritus creatos materiales facere. Angelis quippe ad exemplum quorundam priscae ecclesiae Patrum, corpora tenuia adscribit, nixus argumento ab assumptis eorundem corporibus petito. Scripturam enim testari asserit, omnes Angelos corporaliter apparuisse et per proprietates corporeas innotuisse.

XXI.

Ex quo colligimus, Cowardum antiquorum etiam Pythagoraeorum et Platoniorum sententiam ex orco reuocasse. Statuebant nempe hi, omnes omnino spiritus creatos, subtilissimis quibusdam corporibus uestitos esse, quae proinde spirituum *ὄχηματα* siue uehicularum appellarunt. Cum quibus amice conspirare Autorem libri Seder Olam §. II. Dissertationis de Spiritualitate DEI Francisco Cupero oppositae, obseruauimus. Idem quoque Illustrem G. G. LEIBNITIVM in epistola, BASNAGII historiae doctorum literariae Mensi Maio Anni 1705. inserta, quadantenus sentire, haud immerito miramur.

XXII.

Contrarium uero ut euincam superuacaneum esse arbitror, cum illud dudum a Scriptoribus Pneumaticis egregie sit prae-

praestitum. Infirmum praeterea admodum est fundamentum, pro adstruenda materialitate Angelorum a Cowardo allatum. Insignem quippe commisit *ἀσυνλογισίαν*, a corporibus quandoque ad certas quasdam operationes perficiendas assumptis, ad materia gaudentem essentiam concludens. Neque satis dextre Oracula diuina, de geniorum natura spirituali, amplissimum perhibentia testimonium, prouocatione facta ad corpora glorificata, quae spiritualia in Scripturis asseruntur, ualet eludere. Haec enim extra Sphaeram status naturalis sunt constituta, adeoque de iisdem accuratum quamdiu cum imperfectionibus infirmitatibusque praesentis uitae colluctamur, iudicium ferre non licet. Asserunt equidem Theologi, fore corpora ista extensionis, impenetrabilitatis, localitatis, ac reliquorum corporis attributorum expertia, neque tamen proinde in spiritus mutanda esse contendunt, sed spiritualibus saltem affectionibus gauisura esse affirmant. Balbutire de his in hac mortalitate licet, cum perfectissimam de discrimine corporis et spiritus, ac differentia inter spiritum et corpus spirituale intercedente cognitionem, demum in Academia coelestis Patriae adepturi simus. Quapropter occulta haec, mysteria illa, obtusae mentis aciem eludentia, iusto curiosius nolo rimari; sed potius supremi rerum omnium moderatoris mirabilem potentiam, uenerabunda prosequi admiratione et in pia fidei simplicitate acquiescere, mearum esse partium sum arbitraturus.

XXIII.

Uterius pedem promouet Cowardus, ex uariis Scripturae dictis materialitatem malorum geniorum probare conando, differendoque de obsessione, uerum cum illa ad forum diuini disciplinae spectent, nolo messi uenerandis Theologis destinatae, meam audacter immittere falcem, breuibus saltem de tertio Cowardi placito, (quo materiam et motum, unicum cogitationum, tum in brutis, tum in hominibus fundamentum esse contendit) sententiam meam propositurus. Triplex equidem uulgo statuitur cognitio, naturalis scil. sensualis

C

et

et rationalis. Naturalem competere dicunt rebus inanimatis, qua illis notitia finis, propter quem agunt, adscribitur. Ast perperam! Nequeunt enim quidditatem cognitionis huius exponere, adeo ut uehementer mirer, commentum hoc, quod irrationale appellari posset, ab acutissimis Philosophis IO. SPERLINGIO et PETRO GASSENDO fuisse approbatum. Ali- ter autem longe comparatum esse uidemus, cum cognitione, uel ut accuratius loquar, perceptione sensuali, quam brutis etiam eruditissimi Philosophorum tribuere haud uerentur. Videantur de celebri hac controuersia GERARDVS de VRIES in Exercit. de Operationibus Brutorum, IO. ANDREAS SCHMIDIUS in Dissertatione de brutis hominum Docto- ribus, STEPHANVS ANDREAS MIZLERVS in Disputati- one de Animalium Syllogismo, GEORGIUS CONRADVS FROMMAN commentatione de Ideis brutorum insitis, B. GE- ORGIUS PASCHIVS in Dissert. de brutorum sensibus et cognitione, ut et in Inuentis Nou-Antiquis Cap. III. §. 7. p. 155. Non tamen propterea cum Cowardo brutis rationem tribue- re audeo, neque cum PLVTARCHO et RORARIO asse- re conor, eadem ratione melius quam homines uti, cum in- gens longe inter perceptionem sensualem et cognitionem ra- tionalem discrimen intercedat. Ceterum confer IO. ERNE- STI HERINGII Dissertationem de Ratione brutorum Vi- tembergae Ao. 1665. habitam et Erfurti Ao. 1706. iterum re- cusam.

XXIV.

Abfit igitur longissime ut fundamentum cogitationum materiam et motum asseramus, cum sanae rationi positio illa aduersas partes teneat. Confutarunt istam proinde Summe- Venerandus Dn. D. V. E. LOESCHERVS in Praenotionibus Theologicis p. 212. Dn. D. GOTHOFREDVS BERGERVS Paragraphis primis Dissertationis de tuenda ualetudine ex cognitione sui. PETRVS POIRETVS in cogitationibus Ra- tionalibus p. 101. RICHARDVS BENTLEIVS Orat. II. con- tra Atheos scripta. ANTONIVS le GRAND Dissert. de Caren-

Carentia Sensuum et Cognitionis in brutis §. 31. seqq. et SAMUEL CLARKIVS in Demonstratione existentiae DEI et diuinorum attributorum Anglice conscripta. Quapropter Iliada post Homerum scriberem, si materiae huic a Viris illis celeberrimis dudum fatis superq; expositae, animus esset immorari.

S. D. G.

NOBILISSIMO. ATQVE. ERVDITISSIMO.

DN. IO. ADAMO. FICKVVEI-
LERO.

RESPONDENTI. AC. AMICO. SVO.
HONORATISSIMO.

S. P. D.

IACOBVS. STAALKOPFF.

AB eo statim tempore, quo Te amicissime FICKWEILERE uidere licuit, protinus amore erga Te feruere cepi. Tua quippe erga DEVM pietas, in conuersatione humanitas, in moribus comitas et in liberalium Artium studiis praeclara industria, uel inuito etiam amo-
rem

rem ualent extorquere. Incrementa paulatim
illa de uirtute Tua existimatio sumsit, cum prop-
ter singularem prorsus in auscultatione leuidensi-
um praelectionum mearum adhibitam diligentiam,
intimius Te nosse mihi fuit integrum. Nil
ergo aliud restabat, quam ut sub meo qualicun-
que praesidio, eam quam improbo labore Tibi
acquisiisti eximiam eruditionem, egregiamque
doctrinam, editione publici speciminis in solenni
Eruditorum confessu testatam faceres. Applau-
do eapropter conatibus Tuis, de felici successu
securus, eo quod haud fallaci praecipiam spe, fo-
re, ut Supremum Numen cuius praecipue hono-
rem praesenti assertum iuisti labore, molitiones
Tuas laude dignas benignissimo suo auxilio
clementissime sit fortunatu-
rum. Vale!

